

dictis actoribus in predicta solutione; sed omnia in usus et necessitates dicte communis Tragurii conuertissent, spretis omnibus requisitionibus dictorum actorum, quibus eos ad satisfactionem dictarum promissionum, tam coram hominibus Capituli, quam etiam notarijs publicis requisiiissent; quare petebat dictus Nicolaus sibi dictis nominibus, de iure et iustitia remedijs prouideri. Ex aduerso vero Viri nobiles Paulus Marini Quarchi, Marcus Marini Cipichi et Mateus Petri Joseph, Sindici dicti communis Tragurii respondebant; quod dictus Casoctus ad faciendam promissam predictam potestatem sufficientem minime habuisset; sed solummodo pro 4 annis predictis obligandi pescariam predictam, quodque dicti panni et fustanei dictorum actorum ad dictam summam pecunie dictorum 1100. ducatorum minime ascendissent. Nos igitur arduis regalibus negotiis prepediti, dictam causam in ciuitate Nonensi diffinire non valentes, dictum Syndicum fecimus mandare expresse, proprijs in personis, et cum eorum iuribus, coram nobis Pagi deberent comparare, dictis actoribus de iustitia responsuri. Ibidemque nobis debita hora pro tribunali sedentibus, comparuit dictus Nicola, vt actor, instanter iustitiam postulando; comparuit ex aduersa parte solus de Marchus Petri Cipichi, et se petitionibus dicti actoris opposuit sicuti supra. Nos igitur considerantes formam verborum Syndici et promissionem per dictum Casoctum Syndicum factam, et testimonium Francisci notarii communis Tragurii, testificantis per publicum instrumentum, manu eius confectum, quod dictus Casoctus habuit potestatem faciendi promissionem predictam, et visis literis testimonialibus Communis Tragurii, eorum sigillo bullatis, per quas testificantur, quod Franciscus est publicus et leg. notarius, considerato insuper modo acceptionis dictorum pannorum, dicimus et determinamus, et per hanc nostram sententiam diffinitiuam iudicamus, quod dictus Duymus et Nicola actores, in die festiuitatis Sancti Jacobi Apostoli proxime futuro, in Ecclesia Traguriensi, in presentia Capituli Ecclesie Spalatensis, quod per dictum Capitulum ad id serie presentium transmitti iubemus, super sacrosanctis Evangelii scripturis manu tactis, super eo, quantum valuerunt dicti panni et fustanei, ab eis recepti, vt premissum est, iuramento prestare teneantur; et quantumcumque iurauerint a 1100 ducatis infra, tantum dictum Commune Tragurii debeat dare et soluere, cum effectu in pecunia numerata et non in alijs rebus, in Tragurio vel Spalato, infra vnum mensem, computando a die iuramenti predicti, deductis et defalcatis de dicta summa 1100. ducatis boni auri et iusti ponderis, libris 500 suprascriptis, facientibus 111 et solidos X, et ad soluendum dicto actori expensas per eos factas, quidquid, vt supra, iurauerint, se de hac causa, legitime exposuisse a ducatis 142, infra saluo iure futuro de expensis, sub poena quarti tocus summe predictae; cui si contrafactum fuerit, medietatem habeat D. Banus Dalmacie et Croacie, et aliam actores supradicti, harum testimonio nostrarum litterarum. Datum Pagi in domo Comitatus Pagensis die XXVII. Junij. Anno MCCCXCVI.